



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XI. Imbecillas, sibi visas responsiones Manichæorum, ad argumenta Catholicorum ex Scrip.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**



## CAP. XI.

*Imbecillas sibi visas responsiones Manichæorum, ad argumenta Catholicorum ex Scripturis.*

1. **D**Einde, quæ illi in Scripturis tuis reprehenderant, defendi posse nō existimabam: sed aliquando sane cupiebam, cum aliquo illorum librorum doctissimo, conferre singula, & experiri, quid inde sentiret. Iam enim Helpidii cujusdam, adversus eosdem Manichæos coram loquentis & disferentis sermones, etiam apud Carthaginem movere me cœperant: cum talia de Scripturis proferret, quibus resisti non facile posset, & imbecilla mihi responsio videbatur istorum.

2. Quam quidem non facile palam probabant, sed nobis secretius, cum dicerent Scripturas novi testamenti falsatas fuisse à nescio quibus, qui Iudæorum legem inferre Christianæ fidei voluerunt: atque ipsi incorrupta exemplaria nulla proferrent. Sed me maxime captum & offocatum, quodammodo deprimebant corporalia cogitantem moles illæ, sub quibus anhelans in auram tuæ veritatis, liquidam & simplicem, respirare non poteram.

## V S V S.

Vt Manichæi falso & perfide, dicebant Scripturas novi Testamenti falsatas fuisse, cum tamen ipsi exemplaria incorrupta nulla proferrent: ita scetarii nostri inique errores & corruptelas editioni vulgatæ Bibliorum objiciunt, præsertim post tam accuratam editionem, qua nullam magis incorruptam proferre possunt.